



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, 1711**

Sectio Decima. Octavum argumentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

N.  
275.  
Urban.  
VIII.

Has angustias Urbanus VIII. animadvertens consulit, ut in casu, quo moralis de valore, aut nullitate certitudo haberi non possit, ut Missionarii sequantur quamlibet inter TT. certò probabilem Barbaris favorabiliorem; cum enim certus contractus naturalis pro materiâ matrimonii, quatenus Sacramentum est, haberi non possit, habebitur contractus, qui tunc in illis incertitudinis angustias haberi potest, quod satis est; eo modo, quo cum aqua naturalis haberi non potest, baptizatus est infans moriturus cum aquâ, quæ tunc haberi potest, etsi incertum sit, an sit aqua naturalis, immò etsi magis probabiliter putaretur, quòd non sit aqua naturalis.

N.  
276.  
Inn. XI.

Ex his patet nullitas primæ difficultatis petite ex primâ ab Innoc. XI. damnatâ; non enim Papa damnat usum minus probabilis, sed usum minus probabilis, relicta tutiores; in nostro autem casu implicat materia tuta; quicumque enim novus consensus, aut contractus ponatur, sive cum primâ, sive cum aliâ, semper ille erit incertus, quia incertum semper est inter TT. adeoque etiam inter Missionarios, an impedimentum sit tantum jure Canonico, an etiam naturali dirimens illud matrimonium: ergo cum certò probabile sit, quòd obex matrimonii cum primâ sit jure naturæ irritans, consensus, & contractus cum primâ semper erit positivè dubius, seu incertus: similiter cum certò probabile sit, quòd ille obex sit tantum jure Canonico irritans, consensus, & contractus cum alterâ erit etiam positivè dubius, adeoque incertus.

N.

277.  
P. Card.

Venio ad alteram difficultatem omnibus communem. Scio, quòd P. Cardenas tom. 4. *disf. 8. cap. 2.* in primam ab Innoc. damnatam n. 554. dicat, quòd ab inveteratâ consuetudine judicandi de valore (idem intelligendum est de nullitate) juxta opinionem verè probabilem, & receptam ut talem, fiat homo reflexè certus de valore matrimonii declarati probabiliter validi, aut de nullitate matrimonii declarati probabiliter nulli, non minus ac per sententiam judicis declarantis matrimonium validum, de quo sæpe habet certam etiam probabilitatem, quòd sit nullum.

N.  
278.  
P. Card.

Ex hac doctrinâ idem P. Cardenas n. 612. infert, quòd Urbani VIII. responsio fuerit circa impedimenta jure naturali, aut Divino dirimentia, (ut nos docuimus, & Anonymus in Doctore citato advertere poterat) & quòd Urbanus dixerit, matrimonia regulanda esse per certò probabiles TT. opiniones Barbaris favorabiliores, ita ut ex dictò

Pontifice liceat uti opinione certò verè probabili, cum certa opinio haberi non possit. Si enim matrimonium in eo invincibili dubio de valore initum juxta opinionem verè probabilem non esset certò validum, peperam Urbanus dixisset celebrandum juxta opiniones Barbaris favorabiliores, nam exponeret Sacramentum frustrationi: ergo matrimonium ex opinione certò probabili initum est certò reflexè validum. Hæc & alia sapiens Theologus omnino legendus, qui unica responsione utriusque difficultati a nobis, & à se proposita satisfacit.

Ego etsi relata ex P. Card. doctrinam N. judicem subtilem, & veram, eam tamen non puto necessariam, ut allata difficultas solvatur. Quilibet enim juxta sua principia cam solvere debet, cum communis sit; ab omnibus enim disputatur, & quaritur, undenam cum solo judicio certò probabili, aut minus probabili de honestate, & licentia actionis hauriatur certitudo de ejusdem honestate, & licentiâ. Scio, quòd TT. Reflexistæ doceant eam certitudinem colligi, & hauriri ab aliquo principio certò reflexo superveniente; contra TT. Non-Reflexistæ, sive sint Probabilioristæ, sive sint Probabilistæ, negant, quòd illud judicium reflexum sit necessarium, immò aliqui eorum docent esse omnino impossibile, & rejiciunt omnia principia reflexa supervenientia, quin negant eadem principia reflexa esse certa; & tandem dicunt, quòd cuicumque opinioni, sive sit certò probabilior, sive sit certò equæ, aut minus probabilis, insit intransitivè, & identicè prudens certitudo de non peccato formali. Ego de toto hoc explicabo futè meam mentem tom. 3. ubi copiosè omnia discutiam; & aliquâ in re adharebo DD. Probabilioristis, docendo illud judicium reflexum non esse necessarium; in aliâ sequar Probabilistas, docendo illud non esse impossibile. Tandem cum aliquibus Probabilioristis, & Probabilistis dicam certitudinem prudentialem de non peccato inesse cuiusque opinioni certò probabili, aut probabili.

## SECTIO X.

Octavum Argumentum.

§. I.

Palinodia P. Elizaldæ.

## SUMMARIUM.

Feraces contradictoriorum Probabiliorista, 280.  
Postquam P. Eliz. negavit certitudinem sui esse ad conscientia regulam, sed solam veritatem;

tatem, tandem aut opinionem probabilem esse regulam, n. 281. 282.

Ait, in omni materia probabilem opinionem esse regulam conscientia, sed cum onere, n. 283.

Ejus rationes, n. 284. ad 287.

Ait, per suam doctrinam satisfieri, tum Probabilistis, negando obligationem sequendi semper tutiorem, aut iudicium probabilis; tum Anti-Probabilistis negantibus satis esse aliquid commune legi, & non legi, n. 289.

N. 280.

AD manus habeo farraginem contradictoriorum, quibus feraces sunt Tutorum, & Probabilistarum libri; etenim non tantum inter se contradicunt, sed quilibet sibi ipsi: & quidem mihi non nisi Amantissimis labore opus esset, nempe calamo, quo ea transcriberentur, cum labor in colligendo contradictoriorum fasciculo, & non exiguum in eis revolvendis studium facili nobis negotio hæc comparaverit; at quia hoc ab aliquo ægrè ferri possit, malo videri indoctus, quam charitatem vel levi nævo offendere. Quare unice traho quæ trahit P. Eliz. qui omnium, quæ retro scripserat, palinodiam cecinisse visus est; quod non est modicum in viro tam ingenioso nostræ sententiæ fundamentum.

P. Eliz.

N. 281.

Itaque post ea, quæ operosè duobus primis libris contra sententiam de licito usu minus probabilis, immò contra obligantem ad probabilis, & quod longè mirabilis est, contra paucos obligantes ad moraliter certum, congeffit, excludendo probabilitatem, & probabilioritatem, & certitudinem moralem, tamquam insufficientes conscientia regulas, & solam veritatem comminiscens esse conscientia regulam, camque semper necessariam, tandem aggregitur *librum tertium* à duplici quaestione: in 1. asserit opinionem probabilem esse conscientia regulam; in 2. asserit non requiri dictamen certum de non peccato, & de honestate, ut sine peccato, & honestè operemur. Miratus sum ut hæc legi, & eò magis, quò ejus sententiam cum nostrâ comparavi.

N. 282.

Ne autem mea admiratio lectori meo mirabilis videatur, producam hic quæ P. Eliz. tradit *lib. 3. qu. 1.* quæ enim tradit *qu. 2.* dabo ubi cum ferè omnium T. T. sententiâ dicturus sum, requiri in ultimo conscientia dictamine certitudinem de non peccato, ut sine peccato; & de honestate, ut honestè operer.

N. 283.

Igitur *qu. 1. §. 2. pag. 129.* ait: *In omni materia, probabile, & opinio probabilis est recta regula conscientia, & humanorum actuum, sed tamen cum onere.* Hoc autem onus explicat paulo post, id est cum onere specialis curæ,

& attentionis, an in hoc, & in illo casu occurrenti habeat exceptionem.

Probat 1. argumento, quod vocat analyticum, & innegabile: Lex humana est regula conscientia, & tamen aliquando patitur exceptionem; ita lex restituendi depositum patitur exceptionem in furioso petente gladium depositum, cui utique reddi non debet: ergo etiam probabilitas, etsi aliquando exceptionem patitur, seu sit defectibilis, potest esse regula conscientia. Sicut ergo lex humana reddendi depositum trahit secum onus inspiciendi, an hic, & nunc reddendum sit, licet sit regula conscientia: rursus sicut lex humana non definit esse regula, etsi aliquando sit defectibilis, ut patet in casu furiosi, cui gladius non est reddendus; & lex humana tunc corrigitur per epickiam prohibentem reddere gladium; ita opinio probabilis trahit secum onus inspiciendi an hic, & nunc fallat; & quamvis aliquando fallat, non definit esse regula, quia plerumque non fallit. Et citat ad hoc intentum doctrinam Arist. 5. Eth. cap. 10. & S. Thom. 2. 2. qu. 120.

Aristot. S. Tho.

Secundo probat §. 3. ex eodem Arist. dicente scientiam moralem esse demonstrationis incapacem; & ex S. Thom. 2. 2. qu. 70. art. 2. dicente, *Certitudo non est querenda in omni materia; in actibus enim humanis, in quibus constituuntur iudicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia, & variabilia; & ideo sufficit probabilis certitudo, qua ut in pluribus veritatem attingat, sic in paucioribus à veritate deficiat:* ergo cum scientia moralis sit regula actuum humanorum, ut certum est, eademque ex maximâ sui parte non habeat objectum demonstrabile, sed opinabile probabiliter, ut etiam certum est, sequitur opinionem probabilem esse regulam conscientia, & humanorum actuum.

P. Eliz. Aristot. S. Tho.

Tertio probat eodem §. 3. quia probabilitas in rebus humanis magni momenti satis est ad prudenter operandum; quilibet enim prudenter fidit medico, & chirurgo, qui plerumque, & in plurimum (ita loquitur) rectè curant: idem accidit in navigatione, emptione, venditione, mensuris, aliisque negotiis humanis: ergo probabilitas satis etiam erit pro negotio conscientia, nam est supra humanum modum, plus in omnibus velle in doctrinâ morum, quam in aliis negotiis.

N. 286.

Quarto probat; quia omne probabile, sive ab extrinseco, sive ab intrinseco, est sine vitio, & defectu intellectus rectè opinabile: ergo neque ullus erit defectus in voluntate, quia

quia hæc non regulatur immediatè per legem Dei, ut est in se, sed per legem Dei ut applicatam per rationem humanam, quæ ratio humana proinde habet etiam rationem regulam: ergo cum ratio humana sit non tantum ratio sciens, aut ratio certa, sed etiam ratio opinativa, sequitur quòd voluntas rectè, & prudenter se accommodat huic rationi. Deinde ad hunc finem trahit verba P. Vafq. 1. 2. d. 58. cap. 2. dicens: *Illud in re debet dici nature humana convenire, aut disconveniens esse, quod per rationem probabilem, & diligentem proponitur, sive in re ita sit, sive non sit; rectè igitur S. Thomas in hoc articulo dixit, rationem esse regulam humanarum actionum.* Hec P. Vafq. & cum eo P. Eliz.

N. 288. Cõfirmat: Rectè statuitur, & creditur alicui, aut aliquibus DD. in materia morum: ergo rectè creditur ijs, quos difficile est falli, licet in aliquo falli possint, aut decepti sint; non enim requiritur Doctõr numquam deficiens: ergo satis est, & requiritur ad probabile extrinsecum, quòd sit autoritas plerumque non fallens; non enim regulam meliorem in humanis habere possumus: ergo sicut probabilitas ab extrinsecò fundata in autoritate plerumque non fallente, satis est ad regulam conscientie; etiam probabilitas ab intrinsecò, & opinio probabilis erit sufficiens regula actuum humanorum.

N. 289. Tandem ad finem §. 3. ut suam commendat opinionem, ait per doctrinam à se immediatè datam satisfieri utrique parti; tum Probabilistis negando necessarium esse sequi semper *ut as*; & negando requiri *diligentiam humanam maiorem*, qualem requirunt omnes obligantes ad habendum semper iudicium moraliter certum, aut probabilius; (ecce quid de Probabilioristis dicat: ecce etiã idem apertè dicere, quod Probabilistarum Probabilioristis Tutoristis, & aliis Anti-Probabilistis, quatenus cum his negat, pro regulam actuum humanorum satis esse aliquid, quod habent omnes etiam dubitantes, seu aliquid, quod æquè se habeat ad legem ac ad non legem.

## §. II.

*Qualiter P. Eliz. de solvat argumenta, quæ sua præcitare doctrina opponuntur.*

## SUMMARIUM.

*Ait, non requiri dictamen certum de honestate, ut quis honestè operetur, n. 290.*

*Ait, quòd S. Aug. habuerit probabilitatem pro regulam, & longe distare à probabili Academicorum, n. 291.*

*Ait de se, se negare probabilitatem tantum quoad*

*nos esse regulam; & affirmare probabilitatem sumptam pro veritate esse regulam, ib.*

*Ait, quòd probabilitas, & opinio non possit componi cum dubitatione, n. 192.*

*Exponit textum S. Thom. de eo, qui in dubium inducitur ex contrarietate, ib.*

*Negat convenire opinioni hanc formidinem, sorte fallor, forte pecco, immò ei repugnat; sed tantum, possibile est, ut fallar, n. 293. 294.*

*Qua dicat de venatore vidente animal, n. 295.*

*Ait, se non probare eos, qui limitant probabilitatis usum, ita ut non valeat in materia valoris Sacramentorum; nec in materia iustitie, aut ubi est præjudicium terrij, sed tantum ubi agitur de licito, ib.*

*Cur? ibid.*

*Ait, quòd si unus testis sit vicinior, aut perspicacior, & aserat objectum esse cervum, venator non peccet jaculando, ib.*

**P**ost dicta respondet P. Eliz. §. 4. argumentis, quæ contra suam doctrinam adduxerat §. 1. Nam ad 1. nempe quòd si opinio probabilis esset regula conscientie, eadè opinio probabilis satis esset ad formandum ultimum dictamen prudentie de honestate operationis; sed non sufficit; nam dictamen debet esse certum, & evidens, hoc autem non potest inferri ex solo probabili: ergo probabile non est regula conscientie. Respondet, quòd *qu. 2.* explicabit, quomodo ex solâ probabilitate formari possit dictamen conscientie sufficiens ad honestatem operationis. Quod autem *qu. 2.* dicit, non est nisi negare requiri, ut dictamen sit certum de honestate.

Ad 2. sumptum ex S. Aug. tot mala, dicente, sequi ex eo quòd quis vitam ducat ex probabili, & acriter invehente contra Academicos, respondet §. 4. constare, quòd S. Aug. habuerit probabilitatem pro regulam sufficienti, ut toties in *libris Confessionum, & Epistolis 86. & 112.* patet; id ipsum constare ex illis, quæ S. D. de sufficientia autoritatis humanæ in ordine ad multa tradidit; imò ex factis ejusdem constat, securus enim est S. Ambrosium, cujus autoritas non erat infallibilis, sed difficulter fallibilis. Addit probabile Academicorum à S. Aug. impugnatum laxius quid fuisse, quàm suum. Demum, quòd S. D. invehitur præcipue in probabile quoad nos solùm tale; & de hoc dicit, & jurat se nescire, quomodo parricida peccaverit, si qui probabile sequitur, non peccat; nos autem (ait P. Eliz.) de se negamus esse regulam morum probabilitatem solùm talem quoad nos; quæ videtur esse, & non est: immò idem dicimus de probabilitate,

ritate, & certitudine solum tali quoad nos: hæc enim est probabilitas sophistica, quæ gaudent etiam parricidæ, & Hæretici; ideo subdit se resolvere probabilitatem per veritatem, quod Academici facere non poterunt, cum dixerint veritatem non esse invenibilem.

N. Ad 3. ex S. Thom. *quodlib. 9. qu. 7. art. 15.* dicente, quod *Omnis qui stitio, in qua de peccato mortali quaritur, nisi expressè veritas habeatur, periculose determinatur*: sed per opinionem non habetur expressè veritas: ergo non licet sequi opinionem probabilem. Accedit alia doctrina S. Th. ex *quodlib. 8.* quod si opinio sit falsa, tunc etiam secundum conscientiam operando peccatur: ergo cum opinio probabilis possit esse falsa, non tantum non potest esse regula conscientie, sed ne quidem excusat à peccato, si falsa sit. Respondet §. 4. in regula probabilitatis esse periculum errandi, & ideo timere quis potest, an hic, & nunc fallat; proinde ut vitemus illud periculum, (ait loquens de se) onus illud iunximus reflectendi, & bene videndi, an exceptio aliqua suppetat, seu, an hic, & nunc sit falsa. Ad alium textum ex *quodlib. 8.* respondet hoc pertinere ad tractatum de Ignorantia. Quod autem S. Th. subdit de habente opinionem certam, qui tamen in quorundam dubitationem adducitur ex contrarietate opinionum, respondet pag. 132. hoc non esse contra se, sed contra omnes, loquitur enim S. Thom. de habente etiam certitudinem, & de hoc dicit induci in dubitationem ex contrarietate opinionum: nè autem dicatur, (ait P. Eliz.) S. Thomam *docuisse impossibilia satis ebrua, nam certitudo nequit componi cum dubitatione, immo nec probabilitas, nec opinans est dubitans*, ideo P. Eliz. vult, intelligendum S. Thomam non de uno, & eodem instanti, sed de varijs: sæpe enim accidit ut dubitem, & fluctuem; inspicendo enim fundamenta hujus partis, illa arridet, & videtur probabilis, imò etiam certa; mox verò considerando, vel DD. famulos contrarium tenentes, vel inconveniens aliquid, mens in aliquam fluctuationem inducitur: ideo aliquando dies intumuntur antequam veniamus ad partum sententiae, & ultimæ resolutionis, quod certè speculantes omnes experiuntur; & idem accidit in negotiis passim; & qui de nullo dubitant, ignorantissimi sunt necesse est. Hoc ergo dubitationis tempore, & jam opinando, jam dubitando, operari peccatum est; nec aliud voluit S. Thom. Hæc quasi ad verbum P. Eliz.

P. Eliz. Ad 4. quod opinio probabilis non definit esse opinio propter probabilitatem, etsi in

genere opinionis sit perfectissima: ergo cum de essentia opinionis sit formidare, nè res aliter se habeat, & opinans judicet se fortè falli, & agere contra legem; opinio probabilis non tantum non potest esse regula conscientie, sed nec excusare à peccato; nam qui operatur cum hæc animi dispositione, fortè pecco, peccat. Respondet §. 4. negando convenire opinioni eam formidinem, *forte fallor, forte pecco*, immò ei repugnat. Solum ergo opinans (inquit) cognoscit non repugnare rem aliter se habere; & hæc est formido solita tribui opinioni, quæ formido non est contra honestatem operationis; & remittit se ad *quest. 2.*

Ad 5. quod de naturâ probabilitatis tam intrinsecæ, quam extrinsecæ sit in aliquibus deficere: ergo regula probabilitatis est in aliquibus, & aliquando contra Dei legem: ergo eâ utens vult aliquando operari contra legem Dei; sed hoc est vel peccatum: ergo probabile non potest esse regula conscientie. Respondet huic argumento se satisfacit per suam conclusionem.

Ad 6. in quo proponitur paritas venatoris videntis minus animal, quod esse cervum testantur decem, & octo; esse hominem testantur duo; & supponitur, quod testes sint pares quoad omnia, nempe veracitatem, & acumen visus, præterquam numero. In hoc casu venator peccaret, si sagittam emitteret, & tamen probabile est animal illud non esse hominem; quandoquidem longè difficilius est falli octodecim, quam duos, & falli octodecim non est plerumque contingens. Non est autem sufficiens (ait P. Elizald. §. 1. pag. 128.) communis solutio limitans usum probabilitatum ad ea tantum, ubi non datur præjudicium tertii; & valere tantum, ubi quæstio est de licito, aut non licito; & ideo Medici, Judices, Chirurghi tenentur ad tutius, vel probabilius: immò excipitur materia Sacramentorum, quoties quæstio est de valido, aut non valido; in his enim datur obligatio ad tutius. Nulla (inquit P. Eliz.) est hæc solutio limitans usum probabilitatum. Tum quia admittit limitatione vix ullus superest usus hujus regulæ de sectando probabili; nam pauci possunt esse casus, in quibus præter violationem materialem non imminet aliud malum, vel meum, vel proximi, vel reipublicæ, quia omnis lex intendit aliquid ex his bonis. Tum quia tota materia justitiæ commutativæ, & distributive, & omnes contractus, ac plura similia debent etiam excipi: ergo vel venator tunc emitendo sagittam non peccat; vel peccat quilibet in quâlibet materia dirigens se per probabile,

N. Ad 4. quod opinio probabilis non definit esse opinio propter probabilitatem, etsi in

babile. Tum quia materialis violatio legis Dei, quæ dari potest, quoties probabile est legem dari, & non dari, est magnum malum: ergo si non licet venatori sequi tunc probabile ob periculum homicidii, numquam licebit in aliis materiis ob periculum materialis violationis legis Dei. Indubitatum enim mihi est (ait P. Eliz. §. 4. pag. 132.) id, quod sufficit, ut homicidium sit tibi imputabile, sufficere quando nulla occisio, sed sola lex adest, ut hujus violatio sit imputabilis, & peccatum. Quapropter rejecta communi responsione, dicit l. c. retorqueri argumentum: Si enim, inquit, venator habeat unum tantum, qui sit vicinior animali, aut visus perspicacioris, & testetur esse cervum, venator non peccat jaculando, & tamen non sequitur nisi probabile: ergo sufficit probabilitas. Deinde ait, quod in casu objecto videtur quidem dari, reverà tamen non datur probabile, quia non est plerumque contingens, sed rarissima est illa contradictio testium videntium in æquali distantia idem objectum, & tamen sibi contradicentium: ergo non datur probabilitas. Quare licet in genere loquendo octodecim contra duos faciant probabile, in ijs scilicet rebus, in quibus contradictiones contingere possunt, non tamen in illis, in quibus rara, & vix possibilis est contradictio, ut accidit in casu dato: quare si contingat contradictio, tamquam res insolita, & rara, obligat præter universales regulas ad novam investigationem, nec tunc licet mittere sagittam. Hæc P. Eliz. lib. 3. qu. 1. per totam.

## §. III.

*Impugnatur P. Eliz. & ostenditur ejus contradictio.*

## SUMMARIUM.

*Nil dicit diverfum à Probabilistis, n. 296.*  
*Paritas legis, quam trahit, nil evincit; cur? n. 297.*  
*Videtur laxior Probabilistis, n. 298.*  
*Videtur nostrâ solutione, n. 299. 300.*  
*Non solvit argumentum, quod probabile, etsi possit deficere, sit regula, n. 301. 302.*  
*Si per probabilitatem intelligit veritatem, assignat pro regulâ quid impossibile, & casuale, n. 303.*  
*Impugno, que dicit de venatore, n. 304. 305.*  
*Non valet a speculativâ probabilitate ad probabilitatem practicam, ib.*  
*Nullus adeo laxat, ac P. Eliz. n. 306.*  
*Est prorsus falsum, quod id, quod satis est, ut homicidium sit imputabile, satis sit, ut legis violatio sit imputabilis cur? n. 307.*

*Quod offendit hominem, est actio materialis, non ita quod Deum, ib.*

*Etsi datur probabile esse, quod nititur rationi plerumque non fallenti, per hoc nostrâ doctrinâ confirmatur, n. 308.*

*Ratio opinionis minus probabilis est plerumque non fallens, ib.*

*Ea definitio, etsi convenire possit probabili intrinsece, non tamen probabili extrinsece; cur? ib.*

*Per probabilitatem juxta P. Eliz. venit veritas, ut sepe docet, & non venit, quia veritas nunquam definit esse veritas, probabilitas aliquando definit esse veritas, n. 309.*

*Nullus docere potest omnem probabilitatem, ut docet P. Eliz. esse regulam conscientie, ib.*

**I**N hæc P. Elizald. doctrinâ plura se mihi offerunt admiratione digna. Primum est, quod cum in probabilia invecus sit, & in benignam tententiam de eorum licito usu, tandem statuit probabilitatē esse sufficientē conscientie regulam; & quamvis, ut aliquid diversum dicere videatur, addat tō cū onere, reverà tamen nil diversum dicit. Quis enim benignæ sententiæ Doctor non admittit illud onus videndi scilicet, an sit hic, & nunc probabilis ea opinio, quam sequi vult? immò nullus Authorum (duobus, vel tribus non magni nominis exceptis) est, qui non velit necessarium esse ut ea opinio sit certò probabilis, quod tamen tacet P. Eliz.

Secundum est, quod in primâ ratione, quam trahit pro sufficientiâ probabilitatis ad regulam conscientie, adducit paritatem legis, quam ait esse regulam conscientie, & tamen aliquando deficere: immò pro exemplo legis humanæ trahit redditionem depositi. Sed contra hoc est 1. quia redditio depositi non est lex humana, sed naturalis, ut certum est. Contra 2. quia adhuc dato quod spectaret ad humanam legem, paritas legis nil evincit, immò evincit oppositum, nempe probabile non esse regulam; nam lex non præcipit nisi certò honesta; ergo potest esse regula: e contra probabile veritatem semper circa incertè honesta: ergo ex eo quod lex sit regula, non inferitur, quod etiam probabile sit regula. Contra 3. quia etiam dato, quod ex paritate legis, quæ est regula morum, inferretur probabilitatem etiam esse regulam conscientie, sequeretur 1. quod ita indubitatum esset, quod probabilitas sit regula, quam indubitatum est, quod lex naturalis sit regula; & sicut hoc est prorsus evidens, ita & illud: immò hoc ipsum supponere videtur P. Eliz. qui ideo hoc suum argumentum vocat innegabile, & authenticum. Hoc autem nemo dicere potest, ut patet

patet ex omnibus TT. quibus cum S. Th. est evidens, & ut tale supponitur, quod lex naturalis sit regula; non omnes autem, imò ad summum ut reflexè certum supponunt probabilitatem esse regulam. Sequeretur 2. evidenter inania fuisse omnia argumeta, quæ P. Eliz. contra usum probabilitatum adduxit, præcipuè ea, quæ contra hoc nostrum principium, Lex dubia, seu hinc inde probabilis non obligat, nam probabilitas est regula morum; ergo est regula benè operandi contra legem dubiam.

N. Tertium est, quòd cum strenuus in Probabilitas Zelator adeo in eos invecus fuerit, tamquam in laxones, tandem ut solvat primum argumentum, quomodo probabile sit regula conscientia, cum ultimum dictamen debeat esse certum, dicit non debere esse certum. Ecce laxior est omnibus Probabilistis, qui tunc ut ultimum dictamen debere esse certum, & ideo plerique ut habeant dictamen certum, recurrunt ad iudicium certum reflexum supra licitum usum probabilitatum: alij vero dicunt ipsam opinionem probabilem esse formaliter certam practice de non peccato, etsi non speculative. At P. Eliz. negat, quòd ultimum dictamen debeat esse certum, imò qu. 2. probat repugnare ut habeatur dictamen certum.

N. Quartum est, quòd eadem utitur solutione, ut nervet argumenta contra suam intentionem, quæ utuntur Probabilitate. Nam ad textum S. Aug. reprobantis usum probabilem, & jurantis se profus nescire, quomodo aliquid sit peccatum, si, quòd est probabile non esse peccatum, peccatum non est; ait 1. probabile Academicorum fuisse laxius, quam à se assertum. Ait 2. quòd S. Aug. invehitur contra probabile apparens. Ecce tibi, qui totum Augustinum contra benignam sententiam armaverat, videns deinde contra suam itare, utitur nostris solutionibus. Hoc enim ipsum nos dicimus, probabile Academicorum fuisse laxius, tum quia nullam inveniri veritatem; & ideo dicimus, quòd merito S. Aug. exarserit contra probabile apparens, quale erat Academicorum; nostram autem probabile, quòd est regula conscientia, debet esse certò, & verè probabile.

N. Quintum est, quòd ut solvat textum D. Thomæ, quem alibi in nos efficaciter produxerat, ait non posse cum dubitatione componi certitudinem; imò nec probabilitas, nec opinans est dubitans. Quo igitur jure P. Eliz. ex illis textibus probavit contra nos, quòd probabilitas non possit esse regula, & quòd opinans dubitet de opposito?

Tom. II.

Sextum est, quòd cum contra nos alius dixerit, quòd opinans formidet de opposito, & ideo opinionem probabilem non esse regulam, hic negat, quòd opinans formidet, ne aliter sit, etsi concedat formidare, ne aliter esse possit.

Septimum est, quòd obijciens sibi probabilitatem non posse esse regulam, quia potest deficere, ait se huic argumento satisfecisse per suam conclusionem; ejus autem conclusio est, probabilitatem cum onere esse regulam. Sed contra 1. quia adhuc impleto onere, seu posita omni diligentia, an necne obiectum, quòd puto probabile, sit honestum, idem obiectum non apparet certò honestum, sed tantum probabiliter honestum: ergo sequens iudicium probabile expleto omni onere potest errare, & deficere: ergo non solvitur, sed integrum manet argumentum, quòd sequens probabile operabitur aliquoties contra Dei legem. Igitur ad nostra principia opus est, ut accedat, ut illud solvat; nempe vel non esse semper obligationem vitandi materialem violationem legis, nisi quando constat certò eam esse talem; non constat autem, imò constat probabiliter oppositum, nempe tunc non esse materialem legis violationem; & ideo, etsi sequens opinionem probabilem aliquando deficiat, numquam deficit formaliter, sed ad summum materialiter inevitabiliter, quia post diligens examen non constat veritas.

Contra 2. quia vel P. Eliz. per probabilitatem cum onere intelligit veritatem, & contra hoc recurrunt argumenta à nobis adducta tota disp. 5. & 6. imò si pro regulà conscientia assignat probabilitatem, seu veritatem, assignat pro regulà aliquid impossibile, sæpe enim est impossibile scire, pro qua parte contradictionis ibet veritas. Vel assignat veritatem probabiliter cognitam, & sic assignat quòd nos; & argumentum à se contra se adductum solvere non poterit, nisi sua principia deserat, & nostra asserat.

Octavum est ipsa ejusdem P. Eliz. retorsio N. argumenti sumpti ex venatore; ait enim quòd si unus vicinissimus animali testetur esse cervum, & nullus testetur oppositum, quòd venator jaculari poterit fundatus in probabilitate; nam unus testis non dat certitudinem. Sed contra; quia quoties probabilitas unius partis est tanta, ut pro oppositâ nulla detur probabilitas, quimimò ad summum imprudens suspicio, & formido de opposito, toties ea probabilitas valdè accedit ad certitudinem moralem; & ideo qui jacularetur fundatus in unico teste fide digno, & tali ut redderet imprudens oppositum, non

non

non jaculatur fundatus in probabilitate, que potest stare cum probabilitate oppositi, sed in quasi certitudine morali.

N. Nonum est responsio remotissime petita ad argumentum venatoris, dum dicit non esse probabile, quod octodecim dicunt contra duos, quatenus rarissimum est, & parum contingens ut detur talis contradictio. Sed contra, quia etsi rarissimum sit, ut octodecim contradicant duobus, quis tamen dicet, quod octodecim contra duos, quorum quilibet sit æqualis autoritatis cum alio, non faciat probabile? Ergo revera, quod dicunt octodecim contra duos, est probabile.

Contra 2. quia non est rarum, ut octodecim contradicant duobus, ut apparet inter DD. præsertim quando particularem opinionem à communi recedentem secuti sunt, & eam probabilem fecerunt; ergo P. Eliz. non solvit argumentum. Ratio igitur, cur tunc non liceat jaculari, non est quia non sit probabile illud animal esse cervum, immò longè probabilius est esse cervum, quia octodecim hoc affirmant, & duo tantum hoc negant dicendo esse hominem; sed quia est probabile speculativum, & à probabilitate, imò à probabiliore speculativa ad practicam non tenet argumentum, ut diximus, & dicemus. Adde aliam rationem; quia certum est præceptum charitatis obligans non jaculari in objectum, quod est æquè probabile esse cervum, ac hominem.

N. Decimum est, quòd cum P. Eliz. invchatur in Probabilistas tamquam in laxones, nullus tamen Probabilista (nisi sit summe idiota) docuit omnem probabilitatem esse semper sufficientem conscientie regulam, nam omnes limitant ad probabilitatem practicam, & quidem ad veram, & certam, dicunt enim licere sequi quamlibet opinionem certò, verè, ritè, practicè probabilem; at P. Eliz. expressè dicit §. 2. initio, *probabilitatem in omni materia esse sufficientem regulam conscientie*, non distinguens speculativam à practicà, nec certitudinem, aut veritatem probabilitatis à probabilitate probabilitatis: ergo magis laxat, quàm omnes Probabilistæ, adeoque ab eo solvenda sunt omnia argumenta, quæ Anti-Probabilistæ in Probabilistas trahunt, nam admittit in omni materia quodlibet probabile esse regulam conscientie. Quare nisi suam conclusionem restringat ad solam practicam certam, & veram probabilitatem, sicut nos, numquam se liberabit ab argumentis Anti-Probabilistarum.

N. Undecimum est, quòd dicat sibi indubitatum esse id, quod sufficit, ut hominis occisio sit imputabilis, sufficere, quando nulla

adeit occisio, sed sola lex adest, ut legis violatio sit imputabilis; ita enim ait §. 4. pag. 132. Sed aperte fallitur; nam datur certa lex charitatis reflexa prohibens mittere sagittam in objectum probabiliter cervum, & probabiliter hominem. Adde quòd id, quod hominem offendit, est jaculatio externa materialis; ergo hæc est id, quod lex præcipue prohibet, & quod præcipue à nobis vitandum. Econtra nulla datur, nec dari potest certa lex reflexa prohibens omnem dubiam violationem materialem legis; præcipue cum Deus à materiali violatione non offendatur, sed à formali violatione legis; & ideo si quis ex invincibili errore putaret esse hoc die jejunandum, & non jejunaret; in hoc casu lex jejunii non violatur materialiter, quia revera talis lex non datur; violatur tamen formaliter, quia datur moraliter ea lex in intellectu: & viceversa si quis ex eodem errore putaret esse nunc mentendum, & mentiretur, violaret materialiter legem non mentendi, quia revera datur ea lex; non violaret tamen formaliter, quia ea lex non existit moraliter in intellectu; ergo est certò falsum, quod ipsi P. Eliz. est indubitatum.

Duodecimum est, tantum abesse ut per allegatam ejusdem P. Eliz. doctrinam sententia de licito usu infirmetur, quin confirmetur. Do enim probabile esse quòd nititur rationi plerumque non fallenti; ita enim ipse definit probabile. Ecce licebit sequi quamlibet opinionem practicè probabilem, quia qualibet, etiam minus probabilis, nititur rationi plerumque non fallenti; nullus enim ea ratione uteretur, si tantum haberet de apparentià falsitatis, ac veritatis, imò inepta proflus esset ad probationem opinionis. Omnis enim, qui probat conclusionem etsi minus probabilem oppositâ, trahit rationem, quæ, ut nobis videtur, plus connectitur cum vero, quàm cum falso; & ideo ex illâ ratione, quia magis apparet vera, quàm falsa, infert veritatem conclusionis. Idem dico de probabilitate extrinsecâ opinionis; ea siquidem probabilitas extrinsecâ opinionis, etsi minus probabilis, plus connectitur cum vero, quàm cum falso, & propter hanc maiorem connexionem cum veritate assentior conclusioni, etsi minus probabilis. Adde, quòd licet intrinsecè probabile sit quòd plerumque non fallit, attamen hæc definitio non potest convenire probabili extrinsecè. Ratio est; quia implicat ut duo Doctores gravissimi sibi plerumque contradicentes, uterque ex illis dicat plerumque verum; ergo non potest admitti definitio opinionis extrinsecè probabilis, quòd sit illa, quæ nititur autoritati plerumque

rumque non fallenti; etsi utcumque admitti  
posset definitio opinionis intrinsecè proba-  
bilis, quòd sit opinio nixa rationi plerumque  
non fallenti. Ratio est; quia rationes sunt  
diversissimæ pro diversitate opinionum; econ-  
tra auctoritas, quæ probantur ex gr. conclusio-  
nes Scoti, est ipsamet semper auctoritas  
Scoti.

N. Dices probabilitatem admittam à P. Eliz.  
tamquàm regulam sufficientem esse longè diver-  
sam à nostra; illa enim est probabilitas vera,  
& realis; nostra autè est sophistica, convenit  
enim utrique contradictorio. Sed contra. 1.  
vel per probabilitatem veram, & realem in-  
telligit veritatem, ut est in se; & hoc sæpe  
est impugnatum: & quamvis P. Elizald. in  
unum probabilitatem confundat cum veri-  
tate; attamen ipsamet hoc deinde aperte ne-  
gat; nam hic fatetur probabilitatem veram,  
seu nixam rationi plerumque non fallenti  
esse regulam conscientiæ, etsi aliquando de-  
ficiat à veritate: ergo per probabilitatem ve-  
ram non venit veritas. Contra 2. quia si per  
probabilitatem veram veniret veritas ut est  
in se, daret non regulam pro regula, nam in  
pluribus ignoratur veritas. Contra 3. quia  
nostra probabilitas conveniens utrique con-  
tradictorio est vera, & realis probabilitas,  
nam verè, & realiter inclinatur intellectum ad  
prudenter assensum: ergo P. Eliz. quam-  
vis, ut nos impugnat, videatur distare à no-  
stra sententiâ; attamen ut deinde descendit  
ad suam mentem explicandam, & considerat  
rationes, quæ utique sunt ipsissimæ, quibus  
nostra, & benigna sententiâ nititur: & ut  
venit ad solutionem argumentorum, quæ  
contra suam sententiâ fiunt, quæ sunt  
ipsissima, quibus nostra sententiâ impugna-  
tur; idem P. Eliz. iisdem utitur pro sua sen-  
tentiâ rationibus, quibus nos: & iisdem so-  
lutionibus, quibus nos; quòd si aliâ solutio-  
ne utitur, non solvit argumentum, ut ostendit.  
Quomodo igitur ejus conclusio non est  
eadem, ac nostra, quoad punctum sequendi  
omnem probabilem practicè, cum iisdem  
utatur rationibus, & solutionibus? Est igitur  
eadem ac nostra, quoad punctum sequendi  
omnem certò probabilem practicè: & non  
est quoad punctum sequendi omnem proba-  
bilitatem, non fecerendo practicam à spe-  
culativâ; immò quantum ad hoc, ab omni  
tum Probabilista, tum Anti-Probabilista re-  
cegit; nullus enim hactenus docuit, nec do-  
cere potuit, omnem probabilitatem esse re-  
gulam conscientiæ.

SECTIO XI.

Nonum Argumentum.

Communes Anti-Probabilistis contradictiones.

SUMMARIUM.

Dividuntur Anti-Probabilistæ in Veristas, in  
Tutoristas rigidos, & non rigidos, & in Pro-  
babilioristas, n. 310.

Nullus Anti-Probabilista est, quæ alteri, immò  
sibi non contradicat, & non doceat licere ipsum  
opinionis probabilis, n. 311.

Contradictiones Veristis communes, n. 312.

Contradictiones Tutoristis rigidis, & non rigi-  
dis communes, n. 313.

Contradictiones Probabilioristis communes, à  
n. 314.

Probabiliorista sunt, & non sunt Probabilioristæ;  
sunt, & non sunt Tutoristæ, n. 315.

Affirmant, & negant; necessitatem judicij dire-  
cti; & intellectum posse, & non posse assentiri  
minus probabili, n. 316. 317.

Probabiliorista sunt, & non sunt Tutoristæ rigi-  
di, n. 318.

Doctrina Probabilioristarum limitatur à praxi  
ad oppositum, n. 319.

Obligant, & non obligant ad probabilius, n. 320.

Probabiliorista sunt, & non sunt Probabilistæ;  
n. 321.

Singulares cujusque Probabilioristæ contradi-  
ctiones, n. 322.

**I**Nter Anti-Probabilistas, quo nomine ve-  
niunt, quotquot nostram sententiâ im-  
pugnant, alii sunt (ut ita dicam) Veristæ;  
obligantes semper ad verum in re; quorum  
aliqui Catholici sunt, nempe illi, qui vo-  
lunt probabilitatem, & certitudinem mo-  
ralem, etsi in re sit falsa, excusare à peccato  
formali; neutram tamen, nisi in re verè sint,  
esse rectam regulam conscientiæ, seu operan-  
di honestè: aliqui Acatholici sunt, nempe  
qui negant probabilitatem, & certitudi-  
nem moralem, si in re false sint, excusare à  
peccato formali. Alii sunt Tutoristæ rigidi,  
qui, quoties veritas est incerta, obligant sem-  
per ad extremum tutius, etsi non probabile.  
Alii sunt Tutoristæ non rigidi, qui, quoties  
veritas est incerta, obligant semper ad extre-  
mum tutius, dummodo probabile; ita ut ne-  
gent licitum esse sequi minus tutum, etsi  
longè probabilius. Alii sunt Probabilioris-  
tæ, qui concedunt licitum esse sequi minus  
tutum, si tamen sit notoriè probabilior tu-  
tiori; negant tamen licitum esse sequi minus  
tutum, si sit minus, aut æquè, vel quasi æquè  
probabilis.